
E X A M E N C H E M I C U M
OBSERVATIONIS A NOBILISS. DE CAROSI CELEBRATAE,
DE GYPSI CUIUSDAM TRANSMUTATIONE
IN CHALCEDONIUM;

Instituit
I. G. G E O R G I.

Convent. exhib. die 9. Febr. 1789.

An corpora mixta, terraeque primigeniae, calces metallorum, caet. aequae ac elementa rerum immutabilia persistent; vel naturae quodam circulo ita transmutentur, ut inde composita mineralia, intima sua natura diversa, mutatis elementis oriantur; vel denique corpora transpositione tantum elementorum mutata emergant, jam inter pristinos chemicos et mineralogos agitata lis fuit, quae nostris temporibus denuo suscitata, celeberrimos naturae scrutatores et chemicos in diversas partes traxit et argumentis oppositas opiniones firmantibus ornata est. Praesertim celeberr. *Ferber* immutabilem terrarum primitivarum naturam multis argumentis denuo firmavit, et transmutationes mineralium oppugnare annisus est in *Actor. Academiae Petropolitanae Anni 1780. Vol. II. p. 248.* (Examen hypotheseos de transmutationibus mineralium); contra vero celeberr. *Gerhard* in opusculo, germanico idiomate edito (*Abhandlung über die Umwandlung und den Uebergang einer Erdart in die andere. 1788. 8.*) observationes numerosas exposuit in variis montium tractibus institutas, quibus trans-